DISPUTATIO INAUGURALIS
MEDICA

De

VARIOLIS

Et

MORBILLIS.

Quam

Deo volente & benedicente

Ex Decreto & Authoritate

Ampliſſimi, Nobiliſſimi & Gratioſiſſimi

COLLEGII MEDICI,

In Celeberrima & Antiquiſſima

BASILEENSIUM UNIVERSITATE

Pro

Summis in Arte Medica Inſignibus Privilegiis
& Honoribus Doctoralibus legitimè
conſequendis,

Eruditorum cenſuræ ſubmittit

HIERONYMUS ZOLLICOFFERUS,
Sangallo-Helvetius.

Die 23. Octobris M DC LXXXII.
Loco temporéve conſueto.

):(o):(



BASILEÆ, Typis JACOBI BERTSCHI.

VIRIS

Munerum amplitudine, Generis nobilitate, Eruditionis laude, rerum agendarum dexteritate maximè conspicuis, Excellentissimis, Prudentissimis.

D. TOBIÆ BAUMGARTERO, M. & Chir. D. Reipublicæ Sangallensis Archiatro Celeberrimo, Senatori Gravissimo.

D. DANIELI ZOLLICOFFERO, Reip. Sangallensis Prætori Meritissimo.

D. PETRO } ZOLLICOFFERIS.
D. GEORGIO LEONHARDO }

D. PETRO } FELSIIS.
D. DAVIDI }

D. HENRICO ZOLLICOFFERO.

D. GEORGIO LEONHARDO ZOLLICOFFERO, Danielis Filio.

D. JOH. CONRADO FELSIO.

Mercatoribus Integerrimis juxta ac Famigeratissimis.

D. BARTHOLOMÆO ZOLLICOFFERO.

Patronis, Mecœnatibus, Agnatis, Parenti, omni Honoris, Amoris ac Obsequii reverentiâ prosequendis, suspiciundis,

Hanc suam inauguralem Disputationem

humillimè & officiosissimè dedicat

HIERONYMUS ZOLLICOFFERUS.



PROOEMIUM.

ELeganter Solon Hominem, quem Trismegiſtus animal adorandum dixit, putredinem eſſe in exortu, bullam in omni vitâ, tandemq́ escam vermium olim pronunciavit: Univerſa ſanè animalia ſi perluſtrare libeat, homine miſerius quodquam non reperies: etenim in lucem iſtam prodit nudus & inermis, cœteris animantibus à naturâ variè munitis ad ſui defenſionem, tectis & circumvallatis, ſimulq́ morborumvariorum ſeminaria ſecum apportat, dùm ex cavernis, in quibus blandè delituit tantiſper miſellus prorepit. Variolas& morbillos in præſentiarum nominare liceat in tenellâ ætate puerulorum corpuſcula funeſto exitu ſæpius infeſtantes: Quotusquisq́ eſt, qui ipſarum genium ignorat, vel quantis incommodis non raró erumpant, & ſtipatæ ſint, neſcit: Ut de univerſali, quod ſibi vendicare quaſi ſatagunt in Homines imperio, taceam: Non abs re hinc futurum arbitratus ſum, ſi quantum vires & temporis anguſtia permittent, Variolarum cauſas & naturam curamq́ attentius examinarem. Deus T. O. M. adſit conatibus.

Thesis I.

Imidium facti, qui bene cœpit habet Horatius quondam cecinit. Hujus monito ego quidem obtemperaturus ante omnia variolarum & morbillorum Etymologiam tradere neceſſe haberem. Cùm autem omnes horum ſcaturigines exhaurire & enumerare nec vacet nec opus ſit, præcipuas indigitâſſe ſufficiet. Græcis ἐξανθήματα, item ἐκθύματα dicuntur. Latinis verò eruptiones efflorefcentiæ, tubercula, papillæ, puſtulæ, quia florum adinſtar in cute exiliunt. Uti enim arbores dum flores & fructus protuberantes protrudunt, tument quaſi ita & natura ubi humores ſibi moleſtos ad cutim eliminare ſatagit, mox tubercula, mox maculas producit. Plerique tamen hodiè variolas ob ſimilitudinem aut à Varis, qui parva tubercula dura & calloſa in facie conſpicua ſunt, aut à variando derivari credunt, dum cutim aliter & aliter colorant, mutant, & ex lævi aſperam & ingratam reddunt, ſecundum illud Poëtæ.

Qui ne Tuberibus propriis offendat amicum,
Poſtulat, ignoſcat verrucis illius æquum eſt.

Germanis ſonant Bocken/ Blateren/ Durchſchlechten/ Kinderblatteren. Morbilli verò à morbo denominationem ſuam ſortiunur, cùm ſint parvi morbi. Germanis vocantur die Maſeren/ Rotheſucht.

II.

Explicatâ nominis ſignificatione ad eſſentiam malorum inveſtigandam progredior, ubi monendum arbitror præ omnibus, quòd, licet Variolæ & Morbilli affectus admodùm conſobrini ſint, imò tantùm non omne morbi genus abſolvant, intemperiei nimirum, malæ compoſitionis, & ſolutæ unitatis, invicem tamen nihilominus aliquatenus diſtent & quidem variolas erupturas præcedit, & ſubſequitur febris tempore ſuppurationis: Morbillos autem quia non ſuppurantur nulla ſequitur. Porrò Variolarum materia & fixior eſſe videtur, & paulò craſſior; Morbillorum verò magis

gis

gis volatilis & tenuis. Morbilli insuper pueros potissimum infestant: Præterito tamen vere homines provectæ ætatis denuò invaserunt, idq; satis vehementer, ceu istud observavit Excellentiss. D. Professor Harderus Fautor & Præceptor summè honorandus: Variolæ autem adultis nonnunquam & senibus obveniunt, Neque ratione temporis vel eruptionis vel durationis ordinariæ conveniunt; Variolæ siquidem tardius egrediuntur, & diutius perseverant cum pruritu vehementiori & dolore, neque enim magnitudinem idoneam primo ictu consequuntur, sed primùm milii semen æmulantur, hinc incrementum capiunt, ac augentur magis magisque, post collecto humore in pus abeunte exulcerant, donec tandem superinductâ crustâ exsiccatæ decidant: Morbilli verò cùm in iis calor acrior sit & intensior, siti majori atque inquietudini junctus, citius efflorescunt, resolvuntur, & penitus evanescunt 4. vel 7. ad summum die, contra quàm Variolæ, quæ quarto die demum emergunt, suppuranturque, exiccantur & decidunt intra dies quatuordecim vel 20. Morbilli nullo relicto vestigio resolvuntur: Variolæ foveas interdum relinquunt: Cætera causis, signis, & symptomatibus ferè similes sibi sunt affectus isti, nec cura multum variat, quin mutatis mutandis eadem medicamenta conveniunt, utrique eademque cautela observanda, nisi quòd in Variolis suppuratio sit expectanda, ubi Medicus aliter se gerere debet.

III.

Hisce ita præmissis utriusque Definitionem subnectere non est difficile: Utque à Variolis ordiar, pustulæ illæ sunt suppurari aptæ, à particulis heterogeneis è massa sanguinea motu febrili exæstuante ac ferociente criticè foras pulsis ortæ. Morbilli verò maculæ rubræ sunt à particulis heterogeneis subtilioribus è massa sanguinea effervescente, motu critico foràs ad cutim pulsis ortæ ad suppurationem non pervenientes.

IV.

Pars affecta cutis dici potest, cùm pustulæ vel maculæ ubertim ibidem conspicuæ sint, non exclusis tamen penitus partibus internis, utpote quas Fernelius, aliique in dissectio-

nibus malo hocce correptas reperére. Clarifs. D. D. Peyerlinus Auguftanus Amicus meus intimus, Amftelodami mihi retulit fe vidiffe variolas copiofas ab infantibus per anum exclufas. Hoc fortè confirmare magis poffunt fymptomata de quibus ægri ingentes non rarò querelas movent, uti funt totius corporis languor, interiorum calor & ardor pari dolori junctus, aliaque de quibus Authores videri poffunt.

V.

Partem affectam affectus ipfi excipiunt, quos fuperius omne morbi genus abfolvere innui, fpecialiter tamen loquendo & fymptoma in excretis effe videntur variolæ ac morbilli, & morbus. Illud quidem quatenus vel Sennerto Viro Clarifs. Tefte natura ebullitione ceu effervefcentiâ febrili folennem hanc ἔκκρισιν producit. Hic verò quatenus ab his puftulis partes tument, figura ipfarum vitiatur, fuperficies exafperatur & continuum folvitur, unde morbus organicus & folutæ unitatis prodeunt. Agnofcunt interim ut *fymptoma* pro fui generatione morbum, *intemperiem fluidi*, feu maffæ humoralis calidam, quæ ex febri continuâ nunc intenfiore, nunc remiffiore, fub tempus eruptionis fatis patefcit.

VI.

Affectuum & partis affectæ expofitioni Caufæ fuccedunt, quas non perinde facile eft enucleare, imprimis cùm tot tantorúmve Virorum ingenia certa illarum cognitio hactenus vexârit. Melioris diftinctionis & veritatis indagandæ caufa difpefcere eas libet in externas & internas: Externis annumerandus eft rerum fex non naturalium malus & præpofterus ufus: *Victus pravus*, cujus exemplum apud Willifium videre eft, ubi ex crapula quidam morbum hunc incurrit, cum aliàs in tota regione nemo eo laboraret: *Aëris* incongrua difpofitio calida nimis vel etiam frigida & nebulofa; fic non ita pridē animadvertit Experientifs. D. D. Roth. Anatom. & Botan. heic profeffor, Hofpes & Præceptor meus æternùm colendus puellulam feptennem cæterà fanam frigido & nebulofo aëri expofitam variolis correptam fuiffe: Quin imò cum aërem continuò haurire neceffe habeamus, fin ifte fcateat particulis multis ac variis, fanguinis, cui vel refpiratione at-

tractus

tractus vel per poros cutis communicatus misceri potest, crasin & mixturam facilè turbabit, id quod in infantulis facilius accidit, quàm in adultis, ut pote quorum constitutio tenella est, & externis injuriis minus idonea resistere, imò qui sanguine ἐυμεταβλήτῳ plerunque gaudent: Huc etiam aërem contagio aliquo infectum plures referunt, in variolis præsertim epidemiis, malignam sanguini diathesin vel inducentem protenus vel foventem: equidem aëris, ratione spiritus potissimum, ipsum undiquaq; circumvolitantis, magnam esse in sanguinis motu vel sustentando & conservando vel augendo & turbando efficaciam, fateri omnes arbitror, hocq; ipsum eleganter juxta ac evidenter sagacifs. Mayow demonstravit: Non immeritò autem suspicatur Clarifs. D. Harderus in collegio practico, in variolarum eruptione sanguinis texturã quodammodo im̃utari, atq; ad hanc consequendam ipsummet aspirare; siquidẽ liquor sit luxuriantis naturæ, variisq; particulis abundet, ob quas in eodẽ statu, præprimis in tenellâ ætate in quâ mixtum mutationi facilè obnoxium evadit, rarissimè permaneat: prout hoc ipsum eleganter etiam Cl. Sydenham declarat: unde particulæ aëris infecti, vel talia effluvia ab ægris morbo eodem laborantibus, sive per respirationem sive transpirationem communicata, sanguinem novum statum quasi affectantem, juvare potissimum ac disponere dici debent; difficile enim utcunq; dictu est, quî aër malignâ hujuscemodi qualitate infectus, sanguinem momento velut ita inficere & tantam purulentæ materiæ copiam in ipso producere valeat: adeoque ut veritati magis congruum videatur, in sanguine præviam quandam diathesin, ad affectus istos producendos vergentem admittere, uti infrà dicetur fusius.

VII.

Interna duplex est antecedens & conjuncta: Prior est humorum abundantia, seu sanguis luxurians, atque particulis ad secretionem idoneis turgescens, in Pueris quidem ob victum liberalem, somnum multum, animum hilarem, vitam jucundam curis destitutam, unde coctiones feliciùs peraguntur, humoresque luxuriare solent. Posterior à variis varia statuitur. Willisius cum Arabibus impuritates sanguinis menstrui partium humani corporis staminibus sese intrudentes

tes

tes accusat, putans sanguinem menstruum & impurum adhuc, secundum generationis principium esse, cùm tamen manifestum sit, & investigatione assiduâ, ac labore improbo compertum, sanguinem menstruum nec impurum esse, neque ad generationem sub formâ illâ rutilâ quidquam conferre, multò minus ad stamina hæcce contexenda concurrere, uti hoc eleganter satis, prolixéque diduxerunt cum aliis, S. R. I. Acad. Nat. Cur. Socii Sagaciss. & Argutiss. Pœon & Pythagoras, cùm in exercit. Anatom. Med. nuper editis eruditis, tum *Ille* in Prodr. Physiol. cap. de sanguine menstruo. Omne quidquid fœtus in utero contentus à Matre accipit, non sanguis crudus, verùm humor in placentâ præparatus & segregatus est, sique impuri quid continet adhuc, statim ab infante per emissaria excernitur, adeò ut ortus variolarum & morbillorum nullâ sufficienti ratione isti tribui possit. Huc accedunt varia argumenta alia, quæ haud parùm obstant. 1. Quòd juxta Fernelium Mulieres quædam peperére, quæ nunquam tamen fluxum menstruum passæ sunt. 2. Quòd Conceptio fit non imminentibus, aut præsentibus, sed finitis mensibus. 3. Quòd variolæ & morbilli novum morbi genus audiunt Mercuriali, si autem à sanguine menstruo progenerarentur, à jactis sanè mundi fundamentis noti fuisse debuissent. 4. Quòd natura sic esset accusanda, quæ infantulis non de meliori alimento prospexit, id quod perquam doctè & fusè cit. c. de sanguine menstruo Celeberr. Harderus demonstrat.

VIII.

Melius sentire illos arbitror, qui asserunt in infantum corporibus, præprimis septennium ingressorum, motus peculiares naturæ instinctu excitari, & ita massam sanguineam depurari ac perfici, sicque sanguinem ipsum ad novum statum tendentem, hujusmodi morbum sibi superinducere. Infantes sanè & pueri sanguine copioso & benigno præditi esse solent, qui postmodum particulis istiusmodi saturatus ad earundem excretionem febrili quodam incendio assurgit, atque tales pustulas sub cute efficit; in adultis istud non ita solenne est, quòd vel sanguis non ita dispositus est, sed crasin firmiorem obtinet, magisque resistentem, vel si acrior existit scabiem

potius

potius protrusis particulis salinis producit, imprimis autem notandum, quòd adulti liberiore & frequentiore motu plus dissipant humorum, unde ad similem turgescentiam sanguis rarius pervenit. Observationes interim mentionem faciunt Virorum, qui annum 40. egressi Variolis afflicti fuerunt, quarum causam certè nullo modo à sanguine materno petere, verùm sanguini illorum benigno, copioso, & habitui molli ac laxo adscribere licet. In omnibus febribus continuis natura de sanitate sollicita secretionem quandam molitur, particulasque heterogeneas massæ sanguineæ adhærentes ope effervescentiæ per solennem Ἔκκρισιν plerumque ejicit foras, uti mustum ebulliens spumam & fæces excutit : Nihil absurdi hinc esse censeo, si dicam in Variolis & Morbillis sanguinem ex totâ massâ particulas quasdam separare, quæ, licet toti æquabiliter commistæ puræ dici possint, tamen motu intestino vehementiori aggregatæ & segregatæ, texturam suam quodammodo immutent, sicque corruptelam quandam induant.

IX.

His non repugnant, quæ Clariss. Bohnius & Ettmüllerus verisimiliter statuunt, variolas nempe & morbillos à lymphâ quâdam salsacidâ ope fermentationis dictæ ad partes cutaneas per arterias delatæ, tanquam à causâ continente produci. Huic autem materiæ aggerendæ commodam occasionem præbere succum nutritium, quem in utero fœtus haurit, sin ille minus laudabilis fuerit, tum imprimis lac maternum, quo aliquandiu sustentatur : neque opus est ut hujusmodi liquores nutritii admodum semper corrumpantur, sufficit illos ansam præbere sanguinis luxuriei, quam vel naturæ bono, & instinctu postmodum tales efflorescentiæ subsequi consueverunt, si tamen corrumpantur iidem, particulis salinis acidis, nunc magis nunc minus (uti quidem cum aliis Exc. Ettmüllerus eruditè conjectatur) cumulandis commodam ansam præbebunt, hinc fit etiam ut istis affectibus infantes sæpissimè, rarius autem adulti vexentur. Particulæ ejuscemodi, quas liquoris acidi vitiosi nomine cit. Viri indigitant, aliquandiu absconditæ delitescunt, & interdum per plures annos quiescunt, tandem verò levi occasione arreptâ,

ſi vel fermentum ſimile extrinſecus communicatum fuerit, ſive aër vel calidior, ſive alio miaſmate idoneo infectus ſanguinem turgeſcentem ſuique depurationem quæritantem in febrilem effervescentiam concitârit ad partes exteriores commodùm deturbantur ope vaſorum capillarium, & glandularum ſubcutanearum miliarium, ſubque cuticulâ hærendo ſucceſſivè inpuſtulas coacervantur, quarum contentus ſalſacidus ſuccus effervescit ulterius, donec in pus perfectum abeat, quod cum cuticulâ erosâ tandem in cruſtam duram, & craſſam condenſatur: interea ſub hac ipsâ acidum cutim ſubjectam erodit, foveaſque plus minus parit, prout magis vel minus effervescentiâ febrili materiæ ſecretum fuerit.

X.

Quærenti jam cur Variolæ & Morbilli quibusdam citius, quibusdam tardius, quibusdam nunquam, quibusdam bis, tervè obveniant haud difficile erit reſpondere 1. Provenire hoc à varietate temperamenti, variâque corporis conſtitutione, uti videmus terram uno in loco citius proferre fructus, in altero tardius, unde fermentaceæ iſtæ particulæ in corpore diu latere poſſunt, donec à causâ aliquâ externâ, vel interno motu aucto exaltentur, atque excitentur. 2. Interdum ſub alio morbi genere apparere, teſte experientiâ, & Virorum Eruditorum plurimorum authoritate: ita videmus ſcabiem vel tineam paſſos rarò aut nunquam variolis vel morbillis laborâſſe, vel ſi laborârint, tamen non graviter decubuiſſe. 3. Suſcitari poſſe easdem à fermento vitioſo non radicitus expulſo. Exemplo ſint febricitantes, cancroſi, aliique qui facillimè iterum in recidivam labi queunt.

XI.

Differentias Variolarum quod concernit, ſunt illæ variæ. 1. Enim aliæ ſunt fientes, aliæ factæ. 2. Ratione loci affecti, totum corpus, vel certam tantùm partem occupant, faciem vel pedes. 3. Ratione moris aliæ benignæ ſunt, nulliſq; gravioribus ſymptomatibus ſtipantur, aliæ malignæ, contagioſæ, & epidemicæ aliæ privatæ, aliæ legitimæ, aliæ ſpuriæ. 4. Ratione figuræ, aliæ ſunt acuminatæ, depreſſæ aliæ, magnæ vel parvæ, copioſæ vel paucæ. 5. Ratione coloris, aliæ rubræ ſunt vel albeſcentes, aliæ viri-

des

des vel nigræ. 6. Ratione temporis expulsionis & suppurationis, quædam statim apparent, quędam tardius, alię manent, aliæ disparent statim. Aliæ brevi tempore exsiccantur, aliæ longiori demum terminantur. Porrò aliæ vestigia relinquunt, aliæ non. De quibus omnibus videri poterit Sennertus, Platerus, Riverius, aliique.

XII.

Spectatis differentiis signa, quibus affectus istos dignoscere licet, examinanda veniunt, sunt autem illa duplicia, quædam præsentes, alia imminentes denotant. Variolarum & morbillorum præsentium manifesta sunt indicia, etenim in sensus incurrunt pustulę vel maculę, quibus partes cutaneę defœdari ac affici solent. Imminentes aliquomodo indicant variolæ vel morbilli epidemicè, id est, publicè latè & passim grassantes, nullus enim puerulorum tunc febri corripitur absque illorum suspicione, imò nec ii, qui nunquam adhuc hisce tentati fuerunt, immunitatem sibi promittere possunt. Ad prænuncia signa referimus ægrorum perterrefactorum & subsultim expergefientium oculos flammeos, ex sanguinis & spirituum igneo quasi motu tales redditos, dolores item capitis, faucium, dorsi & lumborum, cùm sanguinis in arteriis ebullitionem, tum particularum acrium secretiones agnoscentes, pruritum insuper narium, hæmorrhagiam, anxietatem magnam, & inquietudinem, quam Syncope aliquando comitatur, itidem; ex intestinâ luctâ, sanguinisque fervore & partium heterogenearum cum homogeneis pugnâ, quibus aliqui vapores tetros & impuros jungunt, prodire solita: difficilem porrò respirationem, cùm ob sanguinis motum auctum, tum quòd aliquæ particulæ coagulari, & in partibus pneumonicis subsistere solent: tremores item & convulsiones, à spiritu nitro aëreo cum partibus salino sulphureis massâ sanguineâ ebulliente exaltatis, vehementius in partibus muscularibus concurrente, & inelasin quandam adacto oboriri solitas, his addimus tussim siccam à materia irritante acri oriundam, vomitum à saburrha circa ventriculum collectâ, quam intestino motu concitata natura, ejicere satagit, vel acri quodam fibras nerveas transversas stimulante, prodeuntem: Sitim, ardorem, punctionis sensum in toto corpore, lacrymas

involuntarias &c. quæ singula sanguinis ad materiam acrem motu vehementi expellendam exurgentis effervescentiam produnt, quam ipsam magis demonstrant pulsus celer, inæqualis, urinæ turbidæ, & justo tinctiores, alvus suppressa. Signa isthæc nunc omnia concurrunt, nunc aliqua tantùm adsunt. Si Symptomatum adest συνδρομή tertia vel quarta die auctorum, maculæque nonnullæ rubræ in cute eminentes in altum granorum milii ad instar ferantur, & in pustulas sanie repletas mutentur, in variolas abeunt. In latum verò extensæ exigua tubercula, & morbilli fiunt.

XIII.

Ad Prognosin quod attinet, in illâ formandâ cauti simus oportet, jussu & suasu Hippocr. Dictatoris nostri docentis in morbis acutis prognosin esse dubiam; Ludit enim hic morbus sæpè nobiscum, & dùm ægri convalescere videntur, inopinâ quandoque morte premuntur. Prout autem variolæ & morbilli pluribus & vehementioribus, aut paucioribus & mitioribus symptomatis circumcincti fuerint, pejoris aut melioris eventûs spes affulget. Periculosiores sunt variolæ in adultis & senibus. Tardè item propullulantes, & quæ semel egressæ iterum retrocedunt. Naturæ enim imbecillitatem denunciant, & materiæ heterogeneæ copiam, ac pertinaciam. Malum quoque signum habetur, si tempore suppurationis febri convulsiones accedant, juxta Divini Hipp. aph. satius est convulsioni febrim supervenire, quàm febri convulsionem. Respiratio si difficilis sit, suffocationis metum incutit. Diarrhœa aut dysenteria nihil boni minantur, utpote quæ de arsenicali humorum acrimonia testantur. Idem faciunt pustulæ malignæ & contagiosæ, depressæ aut quæ subsidentes nigræ, virides, lividæ, violaceæ evadunt. Variolæ etiam cùm eruperunt si statim emarcescant, nec eruptione facta febris dispareat, symptomataque non remittant, si in augmento circa os crusta nigra accrescat, nihil boni sperare jubent.

XIV.

Contrà bonæ indolis sunt paucæ, eminentes, fastigiatæ, distinctæ, separatæ molles, rubræ albidæ, citò erumpentes, & citò maturæ. Quibus si symptomatum remissio & mitigatio accedat salubrem eventum promittere permittunt, adeò

deò ut ſpes ſit, totam curam ſpacio 12. 14. aut 20. dierum abſolutum iri. Morbillos autem, ſi cœteris paribus iſthæc indicia notare liceat, intra 4. vel 7. dies deſituros confidimus.

XV.

Ut Cura citò, tutò, & jucundè inſtituatur ad indicationes attendere oportebit, quarum tres nobis occurrunt. I. Curatoria, II. Præſervatoria, & III. Vitalis. Curatoria morbum reſpicit, & cauſam continentem: effervеſcentia proin in ſanguine, ſi nimia fuerit modicè mitiganda, ſecretio ipſa juvanda, & ubi opus fuerit promovenda temperatis, puſtulæque prorumpentes, ad juſtam maturationem, mundificationem, & lævigationem perducendæ. Præſervatoria à cauſâ antecedente deſumta exigit humorum qualemcunque alterationem, & evacuationem, quam blandâ diaphoreſi à centro ad circumferentiam pellendo potiſſimùm conſequimur. Vitalis vires præſentes conſervare imperat, & amiſſas reſtituere, ope cardiacorum temperatorum, quibus viciſsim ſeparationem materiæ ligatæ promoventia interdum miſcemus.

XVI.

Materia Præſidiorum è fonte triplici advehitur, Chirurgico putà, Pharmaceutico, atque Diætetico. Chirurgia porrigit V. S. remedium generoſum, quam plures ſtatim morbo incipiente adhibendam cenſent, ego verò nonniſi plethorâ præcipuè urgente, ſi ſanguinis circulus liberior impediatur, conſentientibus juxta ætate, & viribus adminiſtrandam cenſeo. Scio equidem in aliquibus adminiſtratâ V. Sectione variolas copiosè erupiſſe, quod proin illam commendare potis eſſet, quia tamen hac ipſa, ebullitio in ſanguine, quæ ad ſeparationem ſæpius dictam neceſſaria eſt, ſummopere minuitur, quinimò deſpumationi iſti pabulum congruum ſubtrahitur, unde accidit frequenter, ut variolæ apparere incipientes ſubitò detumeſcant, & repercutiantur, non citra prægnantes cauſas eam inſtitui debere omnes mecum indicaturos confido. Quibus V. S. tuta non eſt, cucurbitulis re ita hortante uti poterunt, brachiis, natibus, lumbis, cruribus admotis. Variolæ in altum nimis aſſurgentes, latiores, coincidentes, ita ut ex pluribus veſiculis una fiat (quales Hoſpiti meo Viro Excellentiſs. D. D. Rothio Facul-

tat. Med. p. t. Decano Spectarissimo, ante triennium videre contigit) forsice aperiendæ sunt, & linteo mundo abstergendæ, ne materia acris ibi contenta ulterius serpat, partes carnosas subjectas exedat, gangrænamque inducat, quæ alias facillimè accersi solet, de quo varia extant exempla, & observationes.

XVII.

Pharmacia amplissimnm remediorum campum aperit, quæ diversis temporibus adhibenda sunt, atque in hoc Medici prudentia potissimùm elucescet, si ad tempus separationis, expulsionis, & suppurationis judiciosè attenderit, in illo ebullitio viget aliquantisper, quæ nec augenda calidioribus, nec impedienda frigefacientibus, in isto pustulæ comparent, quæ extus semel pulsæ, ne versus interiora regrediantur postulant, in hoc verò natura, quantum fieri potest, in opere suo juvanda, & incommoda, si quæ obstent, amovenda: Prioribus scopis satisfaciunt medicamenta varii generis à Medicis laudari solita: suadent aliqui Clysteres emollientes, vomitoria, ut & purgantia ab initio morbi adhibenda ex Syr. flor persicor. Mercurio dulci ritè parato ad gr. IV. V. VI. VII. & sic deinceps pro ratione ætatis, constitutionis ægri & temperamenti. Verùm & hic προεξευκεληνήσαντα Medicum agere oportet; fit enim sæpius ut auxiliis istis natura in opere suo avocetur magis, aut turbetur, partiumq; separabilium ita secretio impediatur. Uti de hisce Experientissimus Vir D.D. Harderus in literis ad D. D. Bonnet Practicum Genevensem fœlicissimum exaratis, accuratè, simul ac nervosè disserit, quas ex ipsius liberalitate nuperrimè videre mihi licuit. Quòd si tamen diuturna alvi urgeat suppressio, vel circa primas vias saburrhæ humorum stagnantis evidentia adsint indicia, clysteribus vel blando alicui purganti, habita tamen ratione febris, locus dari poterit: Summa si nullibi, in variolis certè & morbillis ὑπηρέτης τῆς φύσεως est Medicus, qui naturæ duci obtemperat, hancque si vel torpidior fuerit excitat, vel si particulæ viscidæ difficilius separari queant, convenientibus adjuvat: ipsam tamen ebullitionem præproperè nec augere nimium, nec infringere medicamentis intempestivis tentat, patet hinc nec calida spirituosiora, nec diaphore-

phoretica fortiora, citra necessitatem frequentius usurpanda esse, bezoardica imprimis, utpote à quibus sanguinis ebullitio incrementum inidoneum capit, separatioque, quæ successivè absolvi cupit, præcipiti cursu concitatur, ita quidem ut vel non omne, quod tractu temporis separatum fuisset segregetur, vel motu hoc urgente aliæ particulæ, quas natura expelli noluisset, vicissim protrudantur, relictis cæteris ad segregationem magis opportunis: Sequetur itaque motum naturæ Medicus, ac diætâ imprimis tenui, rerumque externarum convenienti usu, quibus medicamenta temperata separationem quoquomodo juvantia affectu id postulante adjunget, illi suppetias feret. Ubi verò motus iste torpidior esset, qualis in temperamento pituitoso præditis plerumque esse consuevit, vel particulæ separandæ pertinacius mixto-ligatæ essent, incidentibus, attenuantibus, volatilibus ac spirituosis hisce subvenire licebit, talibus maximè, quæ naturam ad circumferentiam pellentem firmant, qualia sunt, quæ ex C.C. phil. præparat. oc. cancr. terr. sigillat. ♁. diaphoret. bezoard. mineral. corall. rubr. croc. pulv. pannon. rubr. aq. scabios. fumar. succis. chærefol. acetos. syr. citr. violar. chariophyll. roob. sambuc. acet. scillit. & similibus parantur, & vel formâ pulveris, mixturæ alicujus, aut emulsionis additis seminibus citri, napi, card. bend. aquileg. exhiberi solent. Sententiam hanc modò declaratam confirmant Practici: quotquot prudenter affirmant infantes & pueros medicamentis non obruendos, sed omnia ferè naturæ recommendanda esse. Hoc etiam Monspelii olim Nobiliss. & Ingeniosiss. D. D Peyerus Scaphusianus Collegii nostri consultatorii Director & Præses seriò nobis inculcavit. Pustulis hisce comparentibus, & ad sui perfectionem vergentibus diligenter respicere oportet ad organa sensuum externorum oculos, præprimis nares, aures, os, ut & pudenda & articulos, fauces, guttur, quandoque etiam partes internas, pulmones &c. quibus interdum utpote urgentibus postpositis aliis occurrendum. Oculi clausi vi aperiendi non sunt, metu majoris doloris, majorisq; humorum affluxûs, qui hinc concitari posset, unde majus periculum immineret. Emollire interim materiam, & munire eos licebit lacte, croco, butyro

aquâ,

aquâ tepidâ, aq. omnium flor. fabar. quæ tepidè applicari poterunt. Ad exulcerationem ab iis abigendam formula concinnati poteſt commoda ex aq. roſar. rubr. plantag. euphraſ. flor. balauſt. ſem aniſ. ſacch. Saturn. croc. eſſent. vel ſpir. camph. parata. Hiſce in formam liquidam redactis linteola mollia imbuuntut, tepideque oculorum canthis admoventur. Variolis acribus cutem erodentibus oleoſa non proſunt, ſed potius aqua medicata quædam ex camph. & Antimon. diaphoret. aliisque quæ acres lymphæ particulas alkaliſitate ſuâ ſubtundunt, & imbibunt parata. Naribus præcautionis ergò ſuppoſitoria ex butyro recenti indantur. Pro collutione oris inſerviet aq. plantag. flor. cyani, balauſt. roob diamor. mel roſat addito tantillo ſalis prunell. Pulmonibus affectis inſerviret linctus ex demulcentibus & abſtergentibus, uti ſunt ſyr. hed. terreſt. ſcabioſ. papav. rhæad. violat. aq. papav. cinam. addendo corallia rubra, oc. cancr. & ſimilia. Aliis quoque ſymptomatis, ſi quæ accidant ſtudiosè ocurrendum ex. gr. vomitui convulſionibus, vigiliis, diarrhææ, de quibus videantur Practicorum Libri. Vires ſi ſuccumbere incipiant, vel diſſipari, cardiacis moderatis ex aq. borrag. flor. tiliæ ſcabioſ. cinnam. ten. margarit. ſyr. citr. de rub. id. aliisque par. refocillari poſſunt, quibus ſimul materiæ ſecretioni aliquomodo proſpicimus: In convulſionibus pæonia, pulv marchion. ungula alcis. ſal. vol. C. C. & cinnabarina valdè conducunt. Ad pruritum compeſcendum membra aquæ calidæ quandoque immitti ſolent cum levamine, cavendum tamen ſummoperè ne illa refrigeſcat, ſicq; puſtularum ſubitæ diſparitioni anſam præbeat.

XVIII.

Tempus ſuppurationis, & exſiccationis, quod poſteriorem ſcopum ad quem collimat Medicus conſtituit, ſoli naturæ committitur, & diætâ potiſſimùm exactâ ſublevatur. Cùm puſtulæ emarceſcere incipiunt, nec multo labore nec magno negotio opus amplius eſt. Variolis enim probè ſuppuratis nullis medicamentis internis æger eget amplius, ſiquidem omnia tunc ſymptomata ceſſent. Pueros interim cohibere oportet, ne partes prurientes ſcalpant, ſicque corpus miſerè defœdent. Ad faciliorem puſtularum maturationem

Matrona

Matrona quædam (referente Clariſſ. Craanio Profeſſore Univerſatis, quæ Lugduni Batavorum eſt, Perſpicaciſſimo) omentum ovis granis hordei impactis aſſabat, & liquore inde defluente faciem lavabat, ſic ulcuſcula detergebat, unde formoſa perſtitit, & formoſiſſimas habebat filias. Aliâs facies lavari poteſt aq. ſigill. ſalom. lilior. albor. flor. fabar. omnium flor. lact. virg.

XIX.

Supereſt Diœta, quæ exacta eſſe debet, utantur ægroti aëre puro & temperato non nimis calido, utpote ab illo incendium febrile facilè augetur, nec frigido qui eruptionem compedit. Æger etiam ſtragulis nimium coopertus non ſit, qui mulierculárum error frequens eſt, uti Exc. & Experientiſſ. D. Profeſſor Roth teſtari poteſt, exinde aliquando plures periiſſe, quam ipſius morbi vi. Nec enim conducit vi quâdam ſeparationē præpropere ciere. Decumbat nudus ſine induſio, induſium amiciendum ſulphure ſuffumigetur, ubi ſudorem natura movet, cavendum ſedulò eſt, ſive jam eruperint, ſive in procinctu ſint puſtulæ, ne repentè detegantur, & aëri frigido ſe exponant infantes. Hipp. heic. obſervandum monitum, qui τὰς παρεόντας officio ſuo fungi ſeverè hortatur, ſi proin Medici juſſibus apud pueros ſtrenuè morem gerant. Victus inſtituendus tenuis, ſola juſcula carnium, hordeata & avenacea cum vitell. ovi eduliorum reliquorum vices ſupplebunt. Potus ſit decoctum c. c. vel Terræ ſigillatæ. Variolis ſuppuratis & maturatis æger paulò copioſiori cibo ali poteſt, ita tamen ut lene catharticum ubi declinare incipiunt non omittatur ex infuſ. fol. ſenn. cum ſyr. flor. perſic. aut ſyr. roſar. ſimpl. concinnatum. Somno non interdicendum nî nimius fuerit, ne æger nimis torqueatur. Excreta ſi non reſpondeant, donec puſtulæ planè eruperint non ſollicitanda, ſatius enim eſt ægrum conſtipatum ſinere tantiſper, quàm clyſterem applicando diarrhϾ fores aperire. Animi pathemata modum non excedant, etiam ſanati non ſtatim aquâ frigidâ lavandi, nec aëri frigido exponendi ſunt. Quadrat huc obſervatio *Celeberr. Viri, & Spectatiſſ. D. Decani Rothii*, quod Puella jam jam Variolis liberata, & in integrum reſtituta, ſed maturè nimis foras in aërem frigidum

miſſa,

missa, inflammatione postmodum totius cruris vexata fuerit. Apparet ergò exhinc in ejusmodi gravi casu prudenti semper opus esse cautelâ, ne nimium vel jam à malo liberatis confidamus cùm latitans sæpè adhuc dum in corpore hostis & causâ externâ adjutus præter omnem expectationem tales jugulârit, probè hinc memores triti illius veriverbii.

Fiso res periit diffiso salva remansit.

Hæc sunt quæ pro ingenii mei modulo Lectori offerre volui, quæ minus elaborata si fuerint benevolè interpretetur summoperè rogito, pro viribus quippe egi, quibus deficientibus voluntas saltem laudanda venit. Tibi verò benignissime Deus pro hocce aliisvè innumeris in me collatis beneficiis sit Gloria, Laus & Honor in sempiterna secula. Amen.



COROLLARIA,

Ex Hippocr. desumpta secundùm recognitionem Vorstii.

I.

Febrem convulsioni supervenire satius est, quàm convulsionem febri. 2. aph. 26.

II.

Dum pus fit, dolores ac febres accidunt magis, quàm confecto. 2. aph. 47.

III.

Quæ judicantur, & judicata sunt perfectè, ne moveto neq; innovato, sive purgantibus medicamentis, sive aliis irritamentis, sed sinito. 1. aph. 20.

IV.

Quæ educere oportet, quò maximè vergunt, eò ducenda, per loca convenientia. 1. aph. 21.

V.

Concocta medicamento purgante educenda, & movenda,

da, non cruda, neq; per initia, nisi turgeant, plurima verò non turgent. 2. aph. 22.

VI.

Prægnantes purgabis, si materia turgeat, quadrimestres, & usq; ad septimum mensem, sed has parcius. Juniores autem & seniores cautè purgare oportet. 4. aph. 1.

VII.

Mulier in utero ferens, venâ sectâ abortit, eoq; magis, si sit fœtus grandior. 5. aph. 31.

I.

Ad Clariss. & Nobiliss.

D. CANDIDATUM.

Es ist mir hertzlich lieb/ daß wir einander kennen
Von jüngster Jugend an/ und Vetter dörffen nennen.
Noch lieber ist es mir/ daß wir vertraute Fründ
In dieser bösen Welt/ und Reißgespanen sind.
Noch lieber ist es mir/ Trutz allen unsern Finden/
Daß man den Lorbeer-Krantz umb unser Haupt will winden/
Nach dem wir aus dem Kampff gekommen werden seyn;
Doch geb ich dir den Preiß/ nim̃ hin/ er ist schon dein.
Der Höchste steh uns bey! daß wir die grossen Sachen/
Der schönen Heylungs-Kunst/ mit Freuden können machen:
Daß unser Müh und Fleiß/ in dieser edlen Kunst
Gereich zu seiner Ehr/ und vieler Menschen Gunst.

Dieses wenige setzet bey/ aus wolmeynender Freunds-
Affection seinem werthesten Herrn Vetter/
und liebsten Freund

Jacob Hochreütiner von S. Gallen/
Med. Cand.

II.

Ad Clarissimum Dn. Candidatum.

QUi cupit immensum maris æquor arare sonori,
Is fructus rapidi magna pericla capit:
Qui sequitur *Martis* crudelia castra, timere
Cogitur is Mortis noxia tela feræ:
Sed tu contrariis didicisti absistere telis,
Doctorum contra fortiter ire minis:
Plaudo tibi haud dubiè Victori; Et pectore læto
Accipe Doctoris præmia larga brevî.

Honoris ergo hæc adjecit

EMANUEL ZÆSLINUS, φιλίατρ☉.

FINIS.

